



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum alter coniugum post carnalem copulam possit religionem intrare? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

est matrimonium ab Ecclesia interdictum.
Ad tertium dicendum, quod talis non peccat contra matrimonium, sicut ille qui propriam uxorem interficit: & ideo non est simile.

Ad quartum dicendum, quod non est necessarium, quod deleta culpa, deleatur omnis pœna, sicut de irregularitate patet. Non enim pœnitentia restituit in pristinam dignitatem, quamvis possit restituere in pristinum statum gratiæ, ut dictum est*.

QVÆST. LXI.

q. 28. ar. 1. ad 3.

De impedimento matrimonij quod est votum solemne, in tres articulos diuisa.

¶ E inde considerandum est de impedimentis quæ superueniunt matrimonio. Et primo, de impedimento, quod provenit matrimonio, scilicet de voto solemnium. Secundo, de impedimento, quod provenit matrimonio consummato, scilicet de fornicatione.

¶ Circa primum quæruntur tria.
¶ Primo, utrum alter coniugum altero invito, post carnalem copulam possit religionem intrare?

¶ Secundo, utrum ante carnalem copulam possit intrare?

¶ Tertio, utrum mulier possit nubere alteri viro, priore ante carnalem copulam religionem ingresso?

ARTIC. I.

Utrum alter coniugum, altero invito, post carnalem copulam possit religionem intrare?

252

¶ Ad primum sic proceditur. Videtur, quod alter coniugum etiam post carnalem copulam possit altero invito ad religionem transire. Quia lex divina magis debet spiritualibus favere quam lex humana. Sed lex humana hoc permittit. Ergo multo fortius lex divina permittere debuit.

Tho. 4. d. 27. q. 1. ar. 2. q. 1. & se 7.

¶ 2. Præterea, minus bonum non impedit maius bonum. Sed matrimonij status est minus bonum, quam status religionis, ut patet 1. Corinth. 7. Ergo propter matrimonium non debet homo impediri quin Supplementum. M m possit

possit ad religionem transire.

¶ 3 Præterea, In qualibet religione fit quoddam spirituale matrimonium. Sed licet de leuiori religione ad arctiorem transire. Ergo & licet de matrimonio leuiori, scilicet carnali, ad arctius, scilicet matrimonium religionis, transire, etiam inuita vxore.

SED contra est, quod dicitur 1. Cor. 7. vt nec etiam ad tempus vacent orationi coniuges sine mutuo consensu, à matrimonio abstinentes.

¶ Præterea, Nullus potest facere licite quod est in præiudicium alterius, sine eius voluntate. Sed votum religionis emissum ab vno coniugum est in præiudicium alterius: quia vnus habet potestatem corporis alterius. Ergo vnus sine consensu alterius non potest votum religionis emittere.

RESPONDEO dicendum, quod nullus potest facere oblationem Deo de alieno. Vnde cum per matrimonium consummatum, iam fit corpus viri factum vxoris, non potest sine consensu eius Deo ipsum offerre per continentie votum.

Ad primum ergo dicendum, quod lex humana considerat matrimonium solum, in quantum est in officium nature. Sed lex diuina, secundum quod est sacramentum, ex quo habet omnimodam indiuisibilitatem. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod non est inconueniens maius bonum impediri per minus bonum, quod habet contrarietatem ad ipsum, sicut etiam bonum per malum impeditur.

Ad tertium dicendum, quod in qualibet religione contrahitur matrimonium ad vnã personam, scilicet Christum, cui quantum ad plura obligatur aliquis in vna religione, quam in alia: sed matrimonium carnale & religionis, non sunt ad vnã personam. Et ideo non est simile.

*Al. obli-
gationem*